



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. In Comite Palatino vices alternans Fortuna.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

Pfal. 2. 2.

Tob. 3. 20.

Daniel. 3.

100.

Sap. 6. 4.

Eccli. 3. 21.

Matt. 16. 18.

Pfal. 96. 10.

peros fabricatis: etiam si gigantes sitis, sidera tamen non expugnabitis: inania meditamini, *ô reges terra & principes, qui conuenitis in unum aduersus Dominum & aduersus Christum eius. Non est enim in hominis potestate consilium Dei.* Vestra potestas, in paucos annos durat, potestas eius in generationem & generationem. Potestas vestra iubere potest; illius potestas facere. Nam *data est à Domino potestas vobis: ille à seipso habet potestatem, cui omnis potestas cedit; quoniam magna potentia Dei solius.* Itaque frustra filios vestros absconditis, parentes, frustra in peregrinas terras mittitis, vt Deo subducatis. Frustra æmulos vestros, *ô aulæ, dolo, ferro, veneno petitis; si illis diuina prouidentia regnum præparauit, digitulo vno non attingetis.* Frustra vos, *ô portæ Inferi, Ecclesiam impugnat: Porta Inferi non præualebunt aduersus eam.* Frustra vos, *ô impij, pios monitores persequimini: custodit Dominus animas Sanctorum suorum.* Potest eas, per tela, per ignes, per omnes machinationes vestras, per mille discrimina, per Iordanes, per maria, per leones, per caminos ignis ardentis, educere ad felicitatem. Aspera hæc quidem, sed, etiam per ambages, recta est via.

III.

In memoriam reducite alternas cum procellis vices, quas in historia paulo prius recitata audiuiſtis. Comes Palatinus prosperitate extollitur: mox metu Cæsaris iterum deprimitur. Fugit in siluam, & latebris gaudet: sed aduentu Cæsaris externatur. Denuò lætatur, se non agnosci; & natum sibi filium gratulatur: sed intra paucas horas, quanto luctu, eundem amittit? Filius ipse infans, è sinu matris abripitur ad lanienam. Inde tamen liberatus, in Ducis filium adoptatur. Apud hunc, cum maximè floret, in suspicionem, & præsentissimum vitæ periculum venit. Currit ad necem, & inuenit Cæsaris filiam in vxorem. Quanta hæc est vicissitudo? Hæc Dei via est, etiam de laqueo ducentis ad diadema.

IV.

De Corintho dictum est: *Hæc collibus attollitur, & vallibus deprimitur.* Quod & de Roma potest affirmari, quæ septem collibus est celebrata. Quin & tota terra ita est constituta, vt nunc per plana, nunc per aspera; nunc per summa, nunc per ima ducat; nunc prata, nunc flumina, immo tota maria euntibus obijciat. Hac inæqualitate vitæ humanæ varias vices & casus, viamque ad cælum tendentium, velut emblemate quodam, descripsit Deus. Ita homines sursum feruntur & deorsum. Maritimi mores, sunt mortalium mores; semper fluctuant; semper alternant,
Tollun.